

+ 96,8.d.

# Orationes Sylvestriniennes

die X. Maji MDCCXLVII.

hora IX. antemeridiana

in Gymnasii auditorio primae classis habendas



indicit

**Carolus Theophilus Anton,**

Philos. Doct. et Artium liberal. Mag., Theol. Baccal., Professor regius, Gymnas. Rect. et soc. lat. Jenens. nec non societ. Lus. sup. lit. sodal. honor., in soc. theotisc. Berol. cooptatus ac Tusciae Academiis literarum atque artium, Aretinae, Pistoriensi et Mutilensi epistolarum commercio adjunctus.

Addita est commentatio de discrimine inter Aristotelicum:

*τι ἔστιν εἰπεῖν τι δὲ οὐ εἰπεῖν.*

---

Gorlicii,

ex officina Heinziana.

460  
5 (1847)



Orationum Rudolphi Ferdinandi Liberi Baronis a Sylverstain et Pilnickau, fautoris de schola nostra meritissimi, memoriam patrio sermone celebrantium hic erit ordo et hoc argumentum:

Primum ipse dicam de exercitio gymnastico juvenibus utili.

Deinde tres juvenes, Gymnasii cives ac Silverstainiani beneficii participes, verba facient, quorum priores duo primae classi adscripti sunt, tertius tertiae,

Carolus Rudolphus Robertus Geissler, Sprottaviensis, de praecepto Eccles. XI. 9. adolescentibus maxime inculcando,

Adolphus Robertus Günther, Gorlicensis, de difficultate rebus secundis recte utendi, et

Eduardus Paulus de Fromberg, Saganus, de grati animi officio.

Quibus orationibus si qui Gymnasio cupiunt benevoli auditores adesse velint, grato hoc agnoscemus animo.

P. P. die VIII. Maji MDCCXLVII.

**Q**uum redditii quodammodo studiis philosophicis per carissimi filii dissertationem philosophicam, qua diem natalem sexagesimum septimum nobis congratulatus est<sup>1)</sup> , nonnulla in Aristotelis libris metaphysicis, philosophorum principis legeremus, vexavit nos, quod multos, τὸ τι ἐστι, et τὸ τι ἡν εἶναι. Nam hae loquendi formulae saepissime ab Aristotele ita conjunguntur, ut videantur ejusdem argumenti esse, sed etiam ita distinguuntur, ut manifestum sit, iis diversa significari. Facile intellectu esse videtur prius: τι ἐστι, quid est, quid est res? sed posterius: τὸ τι ἡν εἶναι, quid erat esse, quibus verbis etiam interpres latini reddiderunt, tam difficile est explicatu, ut ei vix ulla subjecta esse videatur sententia. Primum igitur haec verba grammatice interpretemur, et quae verborum structura sit, exponamus. Nihil plus lucis his verbis affundere videtur, quam quae leguntur in Analyticis posterioribus lib. II. 13. (ed. Bekkeri pag. 96. b. 6.): ἀνάγνη γὰρ, εἰ μὴ τοῦτο ἡν τριάδι εἶναι, οἷον γένος τι εἶναι τοῦτο, ἢ ὠνομασμένον ἢ ἀνώνυμον. ἔσται τοίνυν ἐπὶ πλεῖον ἢ τῇ τριάδι ὑπάρχον. —— εἰ τοίνυν μηδὲν ὑπάρχει ἄλλῳ ἢ ταῖς ἀτόμοις τριάσι, τοῦτ' ἀν εἴη τὸ τριάδι εἶναι. Necesse enim, nisi haec est essentia<sup>2)</sup> ternarii, ut sit veluti genus quoddam vel nominatum vel sine nomine. Patebit igitur latius, quam quod ternario inest. —— Si igitur nulli inest alii, quam individuis ternariis, haec esset ternarii essentia. Invenimus hic: ἡν τριάδι εἶναι, ita dictum, ut indicet, hanc triadis vel ternarii esse naturam sive essentiam, et: πλεῖον ἢ τῇ τριάδι ὑπάρχον i. e. latius notione quam quod soli triadi insit, et deinde, hoc esse triadi proprium, in eo esse ternarii numeri naturam, in eo quidem, quod nulli alii inest, nisi huic soli. Ita quoque (pag. 96. b. 14.) legimus: τὸ αὐτῷ εἶναι ἔσται, pariter alii, quocunque fuerit eorum, quae ita

<sup>1)</sup> De eo, utrum repugnantiae in notionibus usu vitae nobis exhibitis ab Herbarto propositae logico principio identitatis et contradictionis confirmentur nec ne. Scripsit Bernhardus Carolus Egbertus Anton, Gorlic, 1844.

<sup>2)</sup> De hac voce a Cicerone inventa, nec vero in ejus scriptis, quae supersunt, reperienda, copiosius exposuimus in programmate de categoriis, 1844. p. 9. 10.

monstrantur, hoc ei esse erit, i. e. ea natura ejus erit. Item dicit Aristoteles Analyt. post. II. 6. (p. 92. a. 9.) : *τοῦτο γάρ ἐστι τὸ εἶναι ἐξεῖνω*, haec vero est illius essentia. Sic. : *ἐπιστήμην ἐκάστου ἐστὶν ὅταν τὸ τι ἦν εἴναι ἐξεῖνω γνῶμεν*. Scientia cujusque rei est in eo, quod ejus substantiam novimus (quae ei sit essentia), Metaphys. VI. 6. (p. 1031. b. 6.). Sic : *τὸ τι ἦν εἴναι Καλλία* (olim legebant *Καλλίαν*, sed Brandisius et Bekkerus ediderunt recte : *Καλλίς*) Metaphys. IV. 18. (p. 1022. a. 27.) Ita etiam : *τὸ Α ἐστὶ τῷ Γ τὸ τι ἦν εἴναι, καὶ η ὡνσία* (Buhlii editio dat Vol. II. p. 567. lin. 8. *τοῦ Γ*), Anal. post. II. 4. (pag. 91. b. 8.) et : *τῶν τι ἦν εἴναι τῷ αὐτῷ πρόγματι*, Anal. II. 8. (pag. 93. a. 12.) eorum, quae ad ejusdem rei substantiam pertinent. Luculentum igitur est, illud *ἦν* cum dalivo modo addito modo supplendo conjunctum significare : esse alicui, i. e. esse ei proprium, vel potius essentiale (sit venia verbo); nam *ἴδιον* aliud esse infra docebimus, et infinitivum *εἶναι* deinde substantive addi, et significare id ipsum, quod rei est, i. e. quo res ipsa exstat, naturam et essentiam rei; equus non esset equus, nisi ei esset equi natura, *τὸ τι ἦν εἴναι τῷ ἵππῳ*. Ita illam locutionem intellexit etiam Alexander Aphrodisiensis, (quem quidem Commentariorum in Aristotelem, qui vulgo ei assignantur, auctorem fuisse jure negasse videtur Brandisius), ad Topic. I. 5. (p. 256. a. 47.) Dicit enim : *λέγει γὰρ ὅρος τὴν οὐσίαν, καὶ ἐν φεύγειν ἐκάστω τὸ εἴναι, τοῦτο δηλοῦ, οὐ συμβεβηκός*, et addit, si plura unicuique rei convenient, ea sola a definiente eximi, in quibus ei sit essentia (*ἐν οἷς ἐστὶν αὐτῷ τὸ εἴναι*). Opponit igitur id, in quo unicuique est *τὸ εἴναι*, essentiam ei, quod casu ei inest, *τῷ συμβεβηκότι*. Ex verbis Alexandri Aphrodis. *τοῦτο δὲ τὸ τι ἦν εἴναι ὡς ὄντας τινὰ μὲν συλλαβών ἔξενηνοχε* (p. 256. a. 40.) simul patet, illa dictione non nisi nomen substantivum, (rei naturam, essentiam) describi. Idem ibidem (lin. 41. et 43.) vocabulo *εἶναι* praeponit *τὸ*, quo articulo declarat, infinitivum pro substantivo habendum esse. Nec mirum, quia verba *τὸ τι ἦν εἴναι* nomen substantivum describunt, quod *τῶν τι ἦν εἴναι* supra lin. 9. legimus et *τὰ τι ἦν εἴναι* Metaphys. VI. 6. (p. 1031. b. 9.): *όνοις πάντα ἐστὶν η ὡνθὲν τὰ τι ἦν εἴναι*, quae quidem verba Scholiastes (p. 747. a. 39.) ita interpretatur : *τούτος ἐστὶν η πάντα τὰ τι ἦν εἴναι τῶν ιδεῶν χρη λέγειν ὡς εἰσὶν, η οὐδέν, vel omnia, quae ad naturam idearum pertinent, oportet dicere esse, vel nihil*. Pluralis igitur significat plurium rerum substantiam. Est quasi nomen indeclinabile. Etiam alia ratione dativo, verbo *εἶναι* addito, ab Aristotele significari, aliquid alicui rei substantiam efficere, plures loci docent. Sic de anima III. 4. (pag. 429.

b. 10.) ἄλλο ἔστι, inquit, τὸ μέγεθος καὶ τὸ μεγέθει εἶναι καὶ ὕδωρ καὶ ὕδατι εἶναι, aliud est magnitudo, aliud quod magnitudini proprium est, magnitudinis natura, aliud aqua, aliud aquae essentia, in quibus haec inest sententia: in magnitudine et aqua omnia insunt, quae ad magnitudinis vel aquae naturam pertinent. Nam nisi inessent, non esset magnitudo vel aqua, sed in iis etiam alia simul insunt, at τὸ esse magnitudini vel aquae id solum continet, quod in notione magnitudinis vel aquae cogitatur. Trendelenburgius (Rhein. Museum für Philol., Gesch. u. griech. Philos. ed. a Niebuhr et Brandisio 1828. pag. 459.) interpretatur ita: die Grösse, et: das Grösse seyn. Malim his verbis interpretari: die Grösse, intelligo aliquid quod est et magnitudinem habet, et: das Wesen der Grösse, id quod magnitudini est, ergo quod inest in ejus notione. Legimus deinde apud Aristotelem ibid. (p. 429. b. 12.), in nonnullis rebus accusativum verbo εἶναι adjectum cum dativo unum idemque indicare. Hoc fit, si res talis fuerit, ut in se non habeat, nisi ea sola, quae pertinent ad ejus naturam. Dicit enim Metaphys. VI. 11. (p. 1037. a. 33.): καὶ ὅτι τὸ τί ἦν εἶναι καὶ<sup>3)</sup> ἔχαστον ἐπὶ τινῶν μὲν ταῦτόν, ὥσπερ ἐπὶ τῶν πρώτων οὐσιῶν· οἷον καμπυλότης καὶ καμπυλότητι εἶναι, εἰ πρώτη ἔστιν, et Metaphys. VII. 3. (p. 1043. b. 2.) ψυχὴ μὲν γάρ καὶ ψυχῆ εἶναι ταῦτόν, ἀνθρώπῳ δὲ καὶ ἀνθρώπος οὐ ταῦτόν, εἰ μὴ καὶ ἡ ψυχὴ ἀνθρώπος λεζθήσεται· οὕτω δὲ τινὶ μὲν, τινὶ δ' οὐ (sc. idem est). Caussa cur Aristoteles curvitatem et τὸ καμπυλότητι εἶναι, curvitatis naturam, et animum atque animi naturam non differre dicat, at hominem ab hominis natura distinguendum esse confirmet, haec est, quod curvitatem per se intelligit, πρώτην οὐσίαν, principalem naturam, quam ait Metaphys. VI. 11. (p. 1037. b. 3.) eiusmodi esse, ut non dici possit aliud in alio esse, in re subposita, ὑποκειμένῳ, ut materia; ergo curvitatem per se nulli alii rei adhaerentem cogitat. Animus autem dicit esse principalem naturam, ἡ ψυχὴ οὐσία ἡ πρώτη Metaphys. VI. 11. (p. 1037. a. 5.). Hominem denique atque hominis naturam idem esse negat, quia, licet animus sit natura prima vel principalis, homo tamen talis natura non sit, quippe qui praeter animum habeat corpus ex materia factum, τὸ δὲ σῶμα οὐλη (ibid. lin. 6.).

---

<sup>3)</sup> Καὶ vulgo non habent; etiam Bekkerus omisit, sed Trendelenburgius (Rhein. Mūs. p. 460.) ex varia lectione Brandisii recepit, et loco aptum est. Nam propter ταῦτόν requiritur, ut duo sint nominata.

Sed nunc commemorandum est aliud genus adhibiti dativi, quem grammatici dicunt per attractionem additum esse, ne quis tironum cum dativi usu modo explicato permisceat, quia etiam dativus attractionis in scriptis Aristotelis reperitur. Sic legimus Categor. X. (p. 12. b. 37.) εἰ μὴ οἷς φύσει τὸ ἐν ὑπάρχει, οἷον τῷ πνοὶ τὸ θερμῷ εἶναι καὶ τῇ χρόνῳ τὸ λευκῆ, et Topic. II. 1. (pag. 109. a. 14.) εἰ ὑπάρχει τινὶ ζώῳ πεζῷ δίποδι εἶναι, atque Ethic. ad Nicom. III. 7. (p. 1113. b. 13.) ἐφ' ἡμῖν ἄρα τὸ ἐπιεικέστι καὶ φαύλοις εἶναι. Hic invenis per attractionem ad πνοήν, θερμῷ pro: θερμὸν εἶναι, λευκῇ pro: λευκήν ad χρόνον referendum, πεζῷ δίποδι εἶναι ad ζώῳ pro πεζὸν δίπονν, et ἐπιεικέστι καὶ φαύλοις ad ἡμῖν pro ἐπιεικεῖς καὶ φαύλους<sup>4)</sup>. Idque postremum eo diligentius est observandum, quod ibid. (lin. 12.) τοῦτο ἦν τὸ ἀγαθοῖς καὶ κακοῖς εἶναι legitur, ubi attractio nulla est, sed Aristoteles hoc vult, id esse, quod naturam bonorum et malorum hominum vel eorum essentiam efficiat. Hoc enim facit, ut homines sint boni vel mali, quod faciunt honesta vel turpia, id quod penes ipsos, in ipsorum potestate esse dicit.

Quodsi conjunctio verborum ἦν εἶναι difficultatem non amplius habet, quia satis luculenta esse videtur, imperfectum tamen pro praesenti nos offendit. Cur Aristoteles dicit: τὸ τί ἔστι, nec tamen: τὸ τί ἔστιν εἶναι, sed: τὸ τί ἦν εἶναι? Quodsi quis oculo properante legerit, quae in Analyt. poster. II. 3. (pag. 90. b. 3.) scripta sunt: ó μὲν γὰρ ὄρισμὸς τοῦ τί ἔστιν εἶναι δοκεῖ, possit arbitrari, hic dictum esse: τί ἔστιν εἶναι, sed εἶναι pertinet ad: ὄρισμὸς, definitio esse videtur τοῦ τί ἔστιν, non τοῦ τί ἦν εἶναι, i. e. ea illud explicare videtur, non hoc. Nec tamen nunquam pro ἦν aliud tempus substitui, defendi potest, quia Anal. poster. II. 13. (pag. 96. b. 11.) legimus: τοῦτ' ἀν εἴη τὸ τριάδι εἶναι, et ibid. (lin. 14.) τὸ αὐτῷ εἶναι ἔσται. Sed tamen in locutione: τί ἦν εἶναι, ἢν pro ἔστι constanter ab Aristotele dicitur, quod observavit Trendelenburgius (Rhein. Mus. p. 480.). Quaestio igitur est, quomodo illud imperfectum sit interpretandum. Scholiastes (p. 256. a. 43.) dicit: τῷ γὰρ „ἦν“ οὐχ ὡς τοῦ παρελθόντος χρόνου δηλωτικῷ κέχονται νῦν, ἀλλ’ ἀντὶ τοῦ ἔστιν· συνίθης δὲ ἡ τοιαύτη ἔστι χρῆσις, v. c. τις ἦν ὁ κόπτων τὴν θύραν; quis pulsavit januam? pro: quis pulsat januam? Interdum vero Aristoteles εἶναι omisit. Sic Metaphys. VI. 4. (p. 1029. b. 26.) haec leguntur: καὶ ὑπάρχει καὶ τούτοις τὸ τί ἦν εἶναι, οἷον λευκῷ ἀνθρώπῳ τί ἦν λευκῷ ἀνθρώπῳ, i. e.

<sup>4)</sup> Simillimum est Latinorum: contigit mihi esse tam felici.

albo homini est id, quod est homini albo sc. essentiale, ad naturam ejus necessario pertinens. Ergo τι ἦν λευκῷ dictum pro: τι ἦν εἶναι λευκῷ. Nec tamen τῷ „ἥν“ τῷ „εἶναι“ temere et ex supervacuo (*μάτην*, ἐκ περισσοῦ) aditum esse, Scholiastes (pag. 256. b. 4.) docet; nam si ἥν idem est, quod ἔστι, τὸ τι ἥν et τὸ τι ἔστι non discerni possent. Imperfectum pro praesenti vulgo dici, praeter Alexandrum Aphrodis., etiam ab aliis probatum est. Praecipue hoc discere potes ex Budaei Commentariis linguae graecae (ed. 1529. pag. 89.), qui plura exempla affert. Sic apud Gregorium Nazianzenum de baptismo haec leguntur: εἰ κωφός ἡσθα καὶ ἀλαλος, οὐ λόγος ἐννησάτω σοι, quibus deinde opponitur: εἰ δὲ τυφλός εἰ. Ergo non dubium est, quin ἡσθα persona secunda imperf. personae secundae praes. εἰ substitui possit. Pari modo personam tertiam imperfect. pro tertia praes. adhiberi, aliis exemplis ostendit, v. c. Aristotelis ipsius de mundo 5. (p. 396. b. 4.), ubi imperfecto ἥν respondet praesens ἀποτελεῖ. Itaque etiam in locutione τι ἥν εἴναι idem esse putat ἥν, quod ἔστι. Notissimum etiam est ἔχον pro χοή, ἔδει pro δεῖ, προσῆκεν pro προσήκει, ἐπλεο, eras, pro εἰς (Iliad. I. 418. adeo verbo νῦν, nunc, addito), ἐπλετο pro ἔστι. Similiter dicitur aoristus ἐκέδασσεν pro κεδάζει, dissipat (Iliad. XVII. 283.), προεξέσμενοι εἶπον pro: προενόμενοι Act. Apost. I. 24. Praeterea Vigerus de praecepsis graecae dictionis idiotismis (ed. Hermanni, Lips. 1813. p. 214. et 237.) idem docens consert Horatii: nunc erat pro: est (Od. 1. 37. 4.). Trendelenburgius vero in eo non acquiescens, caussam imperfecti in dictione τι ἥν εἴναι, alias sibi reperisse visus est, hanc quidem, quod ea significet archetypum rei, rei quasi delineatam speciem, quae in mente rem creantis vel efficientis prius fuerit, quam res ipsa secundum illud archetypum creata vel facta (Rhein. Mus. p. 479. 80.), suamque opinionem probari arbitratur his Aristotelis verbis: συμβάνει τρόπον τινὰ ἐξ ὑγείας τὴν ὕγειαν γίνεσθαι καὶ τὴν οὐσίαν ἐξ οὐσίας, τῆς ἀνεν ὑλῆς τίν ἔχονσαν ὑλην Metaphys. VI. 7. (p. 1032. b. 11.), quae ita interpretatur, quasi ex notione sanitatis mente concepta oriatur ipsa sanitas, et ex notione domus, quae mente sit concepta, domus ipsa, ita, ut illa sit prius, haec, quae materiam habeat, posterius. Sed cogitasse Aristotelem verba facientem de τῷ τι ἥν εἴναι, aliquam rerum imaginem antequam res ipsa esset, a rei auctore mente conceptam, similem designationi domus aedificandae, quam architectus prius, quam domum facit, non est probabile. Probabilius nobis videtur, quod Car. Kühnius in dissertatione de notionis definitione, qualem Aristoteles constituerit, p. 7. proponit, τὸ τι ἥν εἴναι rei essentiam indicare, sed imperfectum non vim et potestatem

habere praeteriti temporis, sed potius caussae rei, quae certe cogitatione prius fuerit, necesse sit, quam id, quod per caussam sit ortum. Nec tamen omnino nobis satisfacit, quia rei natura et essentia non potest esse ante rem ipsam, neque natura rei est ejus caussa. Accedit, quod rei alieujus natura ab aliquo mente concepi nequit, nisi ejus cognitionem ex re ipsa hauserit. Nobis igitur videtur  $\eta\nu$  aoristi, i. e. indefiniti temporis vices sustinere, quia verbo  $\varepsilon\bar{\imath}\nu$  aoristus nullus est. Significari tamen, sicut aoristo plerumque, aliquid, quod anteceserit, prius fuerit, quam aliud, minime negamus. Ita etiam in verbis Thucydidis II. 61. a Reizio ad Vigerum allegatis (p. 237.):  $\varepsilon\bar{\imath}$  δ<sup>ο</sup> ἀναγκαιον  $\eta\nu$ , η εἰξεντας εὐθὺς τοις πέλας ὑπακοῦσαι, η κινδυνεύσαντας περιγενέσθαι, ο φυγῶν τὸν κινδυνον τοῦ ὑποστάντος μεμπτότερος, ubi pro: si necesse est, legitur: si necesse erat, manifestum est, necessitatem antecedere antequam aliquis fugiat, necessitatem igitur re vera priorem esse, quam fugam. Ita quoque (p. 6.)  $\tau\bar{\imath}\varsigma$   $\eta\nu$  ο zόπτων dicitur de eo, qui pulsat, i. e. pulsavit et pulsare pergit. Ergo nobis ad Aristotelis dicendi formulam: τὸ τὶ  $\eta\nu$  εἰναι redeuntibus, imperfectum indicare videtur, rem non posse agnosci qualis sit, ad quarum rerum genus sit referenda, nisi nobis ejus εἰναι ante cognitum fuerit. Cognitio rei naturae antecedat opus est, priusquam notionem alicui rei, quae tibi occurrit, convenire judicare possis; qui equi naturam, τὸ τὶ  $\eta\nu$  εἰναι, non habet perspectam, dicere non potest, aliquid animal esse equum. Notio rei plerumque prior esse non potest, quam res ipsa, sed prior sit oportet, quam aliquid agnosci possit notione contineri, ad notionis ambitum pertinere. Notio equi non potest ei esse, qui equum nunquam vidit, ergo non antequam equus erat, sed ut aliquis dicat: hic est equus, sciat oportet, quae natura equi sit, hanc noscat necesse est, antequam animal quoddam equum esse dicere potest.

Sed verbis singulis expositis jam videamus, quid illud sit, quod Aristoteles verbis: τῷ τὶ  $\eta\nu$  εἰναι significet. Metaphys. VI. 4. (pag. 1030. a. 29.) καὶ τὸ τὶ  $\eta\nu$  εἰναι, inquit, ὅμοιως ὑπάρχει πρώτως μὲν καὶ ἀπλῶς τὴν οὐσίαν, εἴτα καὶ τοῖς ἄλλοις, ὥσπερ καὶ τὸ τὶ ἐστιν, οὐχ ἀπλῶς τὶ  $\eta\nu$  εἰναι, ἀλλὰ ποιῶ ἢ ποσῶ τὶ  $\eta\nu$  εἰναι, i. e. illud τὶ  $\eta\nu$  εἰναι pariter inherit primo et simpliciter essentiae, deinde etiam ceteris, sicut et τὶ ἐστιν, non quidem simpliciter τὶ  $\eta\nu$  εἰναι, i. e. rei natura, sed natura qualitate aut quantitate adjuncta, non rei natura per se, sed talis, quae habeat qualitatem et quantitatem<sup>5)</sup>. Idem

<sup>5)</sup> *Ti ην ειναι*, primum et simpliciter inest substantiae, deinde ceteris, sicut τὶ ἐστιν,

dicit Metaphys. VI. 5. (pag. 1031. a. 10.) οὐδὲ τὸ τι ἥν εἶναι οὐθενὶ ὑπάρξει πλὴν ταῖς οὐσίαις, et (ibid. lin. 12.) ἐστὶν ὁ ὄφισμός ὁ τοῦ τι ἥν εἶναι λόγος, οὐ τὸ τι ἥν εἶναι ἡ μόνων τῶν οὐσιῶν ἐστὶν ἡ μάλιστα καὶ πρώτως καὶ ἀπλῶς, neque τὸ τι ἥν εἶναι ulli inheret, nisi substantiis. Definitio est τοῦ τι ἥν εἶναι effatum, et τὸ τι ἥν εἶναι vel solarum substantiarum est, vel maxime primo et simpliciter. Neque minus ad explicandam formulam dicendi, quam nunc excutimus, hoc facit, quod dicit Metaphys. VI. 6. (p. 1031. b. 6.): ἐπιστήμη ἐπάστου ἐστὶν ὅταν τὸ τι ἥν εἶναι ἔστιν γνῶμεν, cognitio uniuscujusque rei est, quando ejus naturam essentialē novimus. Quam qui perspectam habet, non potest rem ignorare. Ita de anima III. 6. (p. 430. b. 27.) eum tantum intellectum verum esse censet, qui rem concepiat secundum τὸ τι ἥν εἶναι, ex quo appareat, id, quod res est, non reete posse intelligi, nisi conceperis ejus naturam substantialē, non completentem nisi quae ad rei essentiam referenda sunt. Ita Anal. post. II. 11. (pag. 94. a. 20. 21.) et Metaphys. I. 3. (pag. 983. a. 25.) eum se rem scire ait dicere, qui primam ejus caussam se nosse arbitretur, quae sit in τῷ τι ἥν εἶναι. Itaque ei definitio est λόγος ὁ τὸ τι ἥν εἶναι σημαίων Topic. I. 5. (p. 101. b. 39.) et Topic. VII. 5. (p. 154. vitio typogr. p. 150. a. 32.). Similiter aliis in locis ita legimus: ἐτι τὸ τι ἥν εἶναι οὐ ὁ λόγος ὄφισμός Metaphys. IV. 8. (p. 1017. b. 21.), ὥστε τὸ τι ἥν εἶναι ἐστὶν ὄσσων ὁ λόγος ἐστὶν ὄφισμός Metaphys. VI. 4. (p. 1030. a. 6.), ὁ ὄφισμός οὐσίας τις<sup>6)</sup> γνωρισμός Anal. poster. II. 3. (p. 90. b. 16.), et: τούτων, (quibus definimus οὐσίαν) ἐν τι ἐδόξει εἶναι τὸ τι ἥν εἶναι Metaphys. VI. 4. (p. 1029. b. 2.). Ex quibus omnibus elucet, id, quod definitio docet, esse τὸ τι ἥν εἶναι vel οὐσίαν rei. Ea autem explanat, quae sit rei vis et natura, vel in quonam insit rei essentia.

Ceterum ex categoriis 5. (pag. 2. a. 13.) manifestum est, substantiam primam vel principalem rerum non esse in subjecto aliquo (*ἐν ύποκειμένῳ τινὶ*);

---

non quidem simpliciter τὸ τι ἥν εἶναι, sed cum qualitate et quantitate conjunctum. Ut hic sententiarum nexus efficiatur, opus est, ut antiquiorum editorum sequamur interpunktionem, et comma post τὸ τι ἐστὶν statuamus, quod necessarium esse putat Herm. Bonitzius (observatt. crit. in Arist. metaph. Berol. 1842. p. 15.). Nam si cum Brandisio et Bekkero, in cuius versione latina tamen servatum est, omittis, dicitur τι ἐστὶν non simpliciter esse τι ἥν εἶναι.

<sup>6)</sup> Alii legunt τινός. Sic Buhlii editio Vol. II. pag. 561.

ergo principalem substantiam esse dicit notionem, quae non nisi qualitates rei essentiales, sine quibus res esse non possit, ὡν ἀναιρουμένων ἀναιρεῖται τὸ ὄλον Metaphys. IV. 8. (pag. 1017. b. 18.), quibus sublatis tollatur tota res, complectitur, nec non Categor. 5. (pag. 4. a. 10.) hoc esse ait proprium substantiae, τῇ οὐσίᾳ, ut quum idem unumque sit, contraria in se suscipere possit. Sic homo potest albus esse, potest etiam niger esse, potest doctus esse et non doctus. Quodsi alterutrum ei addis, non amplius habes οὐσίαν πρότην. Nam cogitas aliquid, quod salva notione hominis tolli potest. Quodsi quaeris, quomodo Aristotelis: τι ἔστι δικτυοῦendum sit ab ejus: τι ἦν εἶναι, secundum ea, quae disputavimus, ita respondendum est. Si interrogas, quid sit res, rem vis declarari omnibus suis virtutibus et qualitatibus, quarum multae re ipsa non sublata tolli possunt, quia ad rei naturam non pertinent; interrogas igitur, qualis res est? (was ist die Sache?), at si quaequieris: quae est rei natura? τι ἦν εἶναι αὐτῷ; interrogas, quae rei ita sint propria, ei ita inhaereant, ut se jungi neutiquam queant, quum rei natura ipsa iis efficiatur, (was ist der Sache wesentlich? was ist, worinne besteht ihr Wesen?) Hoc ita intelligendum esse, ex iis patere nobis videtur, quae iam p. 5. attulimus verba Aristotelis: ἔλλο ἔστι τὸ μέγεθος καὶ τὸ μεγέθει εἶναι καὶ ὕδωρ καὶ ὕδατι εἶναι. Nam manifestum est, prius pertinere ad quaestionem, τι ἔστι, alterum ad interrogacionem: τι ἦν εἶναι; Si quaeris: τι ἔστι; dicendum: ὕδωρ, aqua est, et intelligenda est aqua, qualis reperitur in rerum natura, cum variis qualitatibus, quae ei inesse possunt, nec vero necessario insunt, contra quaerenti: τι ἦν εἶναι; respondendum est: τὸ ὕδατι εἶναι, i. e. quod naturam aquae efficit, quae est ipsa aquae essentia. Prius igitur referendum est ad rem, quae est in rerum natura, cui multa insunt, quae casu fortuito accesserunt, alterum ad rem, quae mente concipitur, i. e. ad notionem ea omnia accurate complectentem, quibus remotis res ipsa nulla est atque aliarum rerum nihil admiscentem<sup>7)</sup>). Illud τι ἔστι pertinet ad phaenomenon, quod nobis appetet, hoc τι ἦν εἶναι ad noumenon, quod a nobis cogitatur. Quapropter etiam dicit Metaphys. VI. 7. (p. 1032.

<sup>7)</sup> Non male Herm. Bonitzius (observatt. crit. in Aristot. libr. metaphys. p. 14.) ita exponit: est rei singularis ea notio, qua unice ipsius rei natura significetur, excludatur autem, quidquid vel ad materiam spectat, vel interposita alia notione accedit, et interpretatur: notionem substantialem, deficiente verbo latino, quod rem plane exprimat.

b. 14.) λέγω δ' οὐσίαν ἀνευ ὑλης τὸ τι ἦν εἶναι, dico substantiam sine materia τὸ τι ἦν εἶναι<sup>8)</sup>). Nam nisi quid simplex est, sine corpore, materiae expers, habet multa, quae ad ipsius naturam vel essentiam non pertinent, sine quibus esse possit idem, quod est. Ea de caussa etiam Metaphys. VI. 7. (pag. 1032. b. 1.) haec legis: εἰδος δὲ λέγω τὸ τι ἦν εἶναι ἐπάστον καὶ τὴν πρώτην οὐσίαν, coll. VI. 10. (p. 1035. b. 32.), εἰδος intelligens rei formam sine materia. Quodsi Metaph. VI. 7. (p. 1032. b. 13.) artem medicinae εἰδος τῆς ὑγείας, et architecturam εἰδος τῆς οἰκίας dicit, non potest intelligi nisi perfecta et absoluta forma valetudinis, quae est in arte medica, et perfecta forma domus, quae est in architectura. Est εἰδος notio rei omnibus numeris absoluta, quam facit differentia specifica cum genere conjuncta, εἰδοποιὸς διαφορὰ μετὰ τοῦ γένους, Topic. VI. 6. (p. 143. b. 8.). Nec non rerum contrariarum quodam modo idem esse εἰδος dicit Metaph. VI. 7. (p. 1032. b. 2.), quia forma earum eadem sit. Sic sanitatem et morbum nuncupat, quibus sit eadem forma, quae accidente materia in contrarias partes beat. Latinorum valetudo, quae est vel bona vel mala, hanc formam indicat. Ipse Aristoteles ita interpretatur, ut dicat, eandem rem eo, quod vel adest vel abest, facere contraria. Adesse autem vel abesse quum non possit, nisi in re supposita, ἐν ὑποκειμένῳ, forma, quae mente concipitur, necessario ad ὑλην, materiam pertinet i. e. in hac vel adest vel non adest. Quae Metaphys. VI. 4. (pag. 1030. a. 11.) scripta sunt: οὐχ ἔσται ἄρα οὐθενὶ τῶν μὴ γένους εἰδῶν ὑπάρχον τὸ τι ἦν εἶναι, ἀλλὰ τούτοις μόνον, idem indicant, non posse τι ἦν εἶναι esse, ubi εἰδος non sit. Sed si εἰδος cum γένος conjunctum intelligimus generis speciem, v. c. canem quadrupedis speciem, non apertum est, cur rei natura, quae ad ejus essentiam pertinet, tantum in specie generis esse queat, sed εἰδος γένους hic esse videtur forma generis mente concepta eaque materiae expers. Verum ex alio loco Metaphys. VII. 4. (p. 1044. a. 36.), ubi Aristoteles disserit de caassis, cur homo sit, et commemorat causam ejus ως τὸ εἰδος, quam dicit esse τὸ τι ἦν εἶναι, patet, ut ad speciem hominis aliquis referendus sit, hoc facere naturam essentiale hominis, quae ei insit. Nam speciem generis intelligit ita quidem, ut sit id, quod ad rei naturam pertinet, nec ulli est, quod non pertineat ad eandem speciem generis.

---

<sup>8)</sup> Kantius phaenomenon id dicit, quod secundum nostram rationem intuendi et cognoscendi formatum, forma aliqua induitum est, noumenon vero, quod per se sine hac conformatione extans cogitatur.

Sic τὸ τὶ ἡν̄ εἶναι cani, nulli est animali, quod ad hanc speciem generis animalium non sit referendum, i. e. nulli nisi cani soli. Ita si Metaphys. VII. 3. (p. 1044. a. 9.) legimus: ὥσπερ οὐδὲ ὁ ἀριθμὸς ἔχει τὸ μᾶλλον καὶ ἵττον, οὐδὲ ἡ κατὰ τὸ εἶδος οὐσία, ἀλλ᾽ εἴπειρ, η̄ μετὰ τῆς ὑλῆς, manifestum est, substantiam κατὰ εἶδος opponi ei, quae habet materiam. Ergo εἶδος formam materiae oppositam declarat, quod haec verba luculenter docent. Substantia κατὰ τὸ εἶδος ea est, quae per se expers materiae cogitatur, nec major nec minor esse potest, sicut numerus per se spectatus. Sic celebratum est illud Kantianum: centum imperiales mente cogitati non minus valent, quam qui in tabula sunt numerati; nam est εἶδος, i. e. notio centum imperialium mente concepta, forma, quae complectitur contraria, et centum imperiales, quos habes, et centum, quos debes, vel quos non habes.

Quod vocabulum οὐσία, quo Aristoteles in hac re utitur, attinet, hoc exponit Metaphys. IV. 8. (p. 1017. b. 10.) et dicit Metaphys. VI. 3. (p. 1028. b. 33.), substantiam esse quadruplicem. Primum est τὸ τὶ ἡν̄ εἶναι, id, per quod res per se est, qualis sine materia cogitatur, sola ejus forma, deinde universale, τὸ καθόλου. τοῦτο γὰρ λέγεται καθόλου ὁ πλείον ύπάρχειν πέφυτε Metaphys. VI. 13. (p. 1038. b. 11.), quod idem in genus valet, ἐπεκτείνει ἐπὶ πλέον, se extendit ad plura, ambitus notionis est major Anal. post. II. 13. (p. 96. a. 24.). Sed quam a genere internoscatur, genus superius vel sumnum intelligendum est. Nam tertium οὐσία est genus, quod diversas complectitur species Metaph. IX. 8. (p. 1057. b. 37.): ἀνάγκη ἐν γένει τῷ αὐτῷ εἶναι τὰ ἔτερα τῷ εἶδει, genus idem, species diversae. Denique est subjectum ύποκείμενον, cui adhaeret. Sic, ut exemplo illustremus, si tenes manu circulum, οὐσία, substantia ejus est: linea curva ubique pariter a puncto medio distans, atque id ipsum est τὸ τὶ ἡν̄ εἶναι circulo, id quod sine materia naturam (formam) circuli facit, id quod circulus per se est, οὐσία πρώτη. Κύκλον νοητόν nuncupat et opponit αἰσθητὸν, forte ligneum Metaph. VI. 10. (p. 1036. a. 3.). Deinde ad substantiam ejus pertinet, quod res est, vel quod omnino aliquid est (Ding), τὸ καθόλου, sed τὸ ὅν genus esse negat Anal. post II. 7. (p. 92. b. 14.)<sup>9)</sup>, tum

<sup>9)</sup> Verba haec sunt: τὸ δ' εἶναι οὐκ οὐσία οὐδενί· οὐ γὰρ γένος τὸ ὅν, exstare nulli rei est οὐσία, non enim τὸ ὅν, i. e. extans, aliquid quod exstat, genus est ullius rei; quae quidem pugnare videntur cum iis, quae p. 11. ex Aristotelis Metaph. VI. 7. (p. 1032. b. 14.) attulimus: λέγω δ' οὐσίαν ἄνευ ὑλῆς τὸ τὶ ἡν̄ εἶναι. Sed si perpenderis,

quod figura est, *γένος*, ad quam tanquam species pertinet. Denique ad circuli *οὐσίαν* referendum est id, quod manu tenes, sive sit lignum sive ferrum sive aurum, materia, ex qua circulus confectus est. Hoc est *ὑποζείμενον*, substratum rei, in quo res exstat et per hominum sensus cognoscitur. Quare etiam dicit Aristoteles Metaph. VI. 3. (p. 1029. a. 2.), substantiam dici id, ex quo res facta sit, deinde formam, quam habeat, τὸ σχῆμα τῆς ἴδεας (lin. 4.), denique rem ipsam ex materia et forma compositam. Novit idem etiam *οὐσίαν* *ὑλικήν* Metaph. VII. 4. (pag. 1044. a. 15.) VIII. 7. (pag. 1049. a. 36.). Nam *οὐσία* ei indicat omnino principia rerum, prima rerum stamina, simplicia corpora, elementa, terram, ignem, aquam et quae sunt ejusmodi (p. 1017. b. 10.). Sic materiam, in qua rei ex ea factae principium inest, *οὐσίαν* dicit *ὑλικήν*, at principium rerum in forma, *οὐσίαν* ἄνευ *ὑλῆς*, quae quidem est τὸ τι *ἢ* εἴναι, in qua nihil inest praeter notas ad rem necessarias, sine quibus res cogitari non possit. Sic circulus, qualis a mathematicis describitur, est cogitatum quid et habet essentiam formae circuli, contra si scriptus est in tabula, inest ei aliquid materiae, solet plerumque ex creta factus esse. Creta igitur est *οὐσία* *ὑλικήν*, sed circuli notio a mathematico concepta *οὐσία* ἄνευ *ὑλῆς* vel τὸ τι *ἢ* εἴναι.

Praeterea si Metaphys. VI. 6. (p. 1031. a. 17.) dicit: ἔχαστον οὐκ ἄλλο δοξεῖ εἶναι τῆς ἱαντοῦ οὐσίας, ταῦτα τὸ τι *ἢ* εἴναι λέγεται εἶναι ή ἔχαστον οὐ-

---

εἴναι vel idem significare, quod: rei naturam efficere et essentiam (das Wesen ausmachen) vel idem, quod: exstare, ad res, quae creatae vel factae sunt, pertinere (das Daseyn haben), esse vel logicum et significare, quod est in cogitatione et notione, vel metaphysicum, et indicare id, quod exstat extra cogitationem: facile εἴναι in: τι *ἢ* εἴναι, ita intelliges, ut sit quod rei naturam efficiat et essentiam. Hoc profecto pertinet ad *οὐσίαν*. At si negat Aristoteles, εἴναι ulli rei *οὐσίαν* unquam esse, altera significatione hoc vult, ad nullius rei naturam id pertinere, ut sit vel exstet. Nam ad notionem rei id referri non potest, quod exstat. Eadem est notio centum numerorum, quos mente cogitas, et centum numerorum, quos in marsupio habes. Ergo etiam τὸ *ὄν* hac significatione non potest genus rei esse; genus enim ad rei notionem quam maxime pertinet. Ipsum εἴναι, exstare ne ad dei quidem naturam referri, neque virtus vel qualitas numinis divini haberi potest, ut voluerunt, qui ex ipsa dei perfectissima natura argumentati sunt, Deum non posse non esse, quod quidem argumentum, ontologicum appellant, jam dudum explosum est. Est quidem τὸ εἴναι τῷ Θεῷ i. e. ad numen divinum ita pertinens, ut sine eo numen cogitari nequeat, id ipsum, quod natura perfectissima est, sed non est idem, quod: exstare.

*σία*, hoc declarat, unamquamque rem ipsam per se sine iis, quae fortuito ad naturam accidunt, et τὸ τι ἦν εἶναι unum idemque esse. Contra si quis rei addit fortuitum, quod ad naturam ejus non pertinet, τὸ κατὰ συμβεβηκός λεγόμενον, si dicit pro homine: homo albus, tunc τι ἦν εἶναι et res ipsa (καὶ αὐτό) minime idem est. Namque tunc res ipsa est: homo albus, sed ad: τι ἦν εἶναι (ἀνθρώπῳ), ad essentiam hominis color albus neutiquam pertinet. Sequitur, quod necesse esse dicit, ut ἀγαθὸν et ἀγαθῷ εἶναι, καλὸν et καλῷ εἶναι unum idemque sit, si quaecunque demum res non per aliud dicatur, sed per se, et sua prima significatione Metaphys. VI. 6. (p. 1031. b. 11.). Nam si ἀγαθὸς dicitur per se et prima significatione, idem intelligitur, cui est τὸ ἀγαθῷ εἶναι, qui omnia habet, quae ad essentiam boni requiruntur et nihil amplius.

Nec praetermittendum, quod Metaphys. VI. 10. (p. 1036. a. 1.) legimus: τὸ γὰρ κύκλῳ εἶναι καὶ κύκλος ταῦτο, naturam formae circuli, vel formam circuli esse idem atque circulum ipsum, qualis scilicet cogitatur a mathematicis, qui nihil continet, nisi quod ab eo separari non potest, in quo ipsius natura consistit. Ibidem de anima (*ψυχῇ*) idem dicit. Nam ea non complectitur, nisi quod ad formae naturam pertinet, materiae quippe expers.

Ceterum verba Aristotelis Metaphys. VI. 6. (p. 1031. a. 30.): φύσις πρότεροι, οἵας φασὶ τὰς ὁδέας εἶναι τινες, nos ad ideas Platonis deducunt, nec possumus negare, nobis Platonis verba in dialogo Phaedone pag. 74. (ed. Astii tom. I. p. 514.) οὐ ταῦτον ἔστιν ταῦτά τε τὰ ἴσα καὶ αὐτὸ τὸ ἵσον paene idem describere videri, quod Aristoteles verbis: τὸ τι ἦν εἶναι declaravit. Nam αὐτὸ τὸ ἵσον est aequale per se, notio nihil complectens, nisi notas, quibus aequale efficitur, sine quibus aequale esse non possit. Sed τὰ ἴσα sunt aequalia a rerum natura nobis oblata, quae notionem non penitus explent; nihil tam aequale est, ut notio postulat, ὅργεται εἶναι οἷον τὸ ἵσον, dicit pag. 75., ἔχει δὲ ἐνδεεστέλως, res notioni quidem convenire appetit, neque tamen eam omnino assequitur. Tὸ ἵσον est idea aequalitatis, quasi φύσις προτέρα, natura quaedam prior, cui accommodatum id esse judicatur, quod ex rerum usu aequale cognoscimus. Sic a Platone discriben inter Aristotelicum: τι ἔστι sc. τὸ πρόγμα; et: τι ἦν εἶναι sc. τῷ πρόγματι; discere possumus. Namque si quaeris: quid est res? respondeas oportet: ἵσον, at si quaeris: τι ἦν εἶναι; respondendum: τὸ ἵσον. Si interrogas: quid est illud animal? responde: equus, at si interrogas: quae est illius animalis natura vel essentia, τι ἦν εἶναι; exponere debes, quae sint equo propria et faciant, ut illud animal equus sit, neque aliud.

Neque tamen proprium (*ἴδιον*) Aristoteli idem est, quod *τὸ τὶ ἵν εἶναι*. Utrumque idem esse claris verbis negat Topic. I. 5. (p. 102. a. 18.), ac dicit: *ἴδιον μόνῳ ὑπάρχει καὶ ἀντικατηγορεῖται τοῦ πράγματος*, ergo proprium id esse putat, quod soli rei inest, neque aliis simul, et quod cum re ipsa reciprocatur. Homo, inquit, est capax grammaticae discendae; et qui grammaticae discendae capax est, homo est. Ergo est hoc homini proprium, nec tamen declarat *τὸ τὶ ἵν εἶναι* homini, hominis essentiam et naturam, quae est in eo, ut sit animal rationale. Contra homini neque hoc *ἴδιον*, ut animal sit, neque hoc, ut rationem habeat, quam etiam angelis esse statuimus. At totum, si conjunxeris illa verba: animal rationale, est homini proprium, *ἴδιον τὸ πᾶν* ait Analyt. post. II. 6. (pag. 92. a. 8.), et addit: *τοῦτο γάρ ἐστι τὸ εἶναι τούτου*, et Anal. post. II. 13. (p. 96 a. 33.) haec invenis: *ἔχαστον μὲν ἐπὶ πλεῖον ὑπάρξει, ἄπαντα δὲ αἱ ἐπὶ πλέον*. Praeterea (p. 92. a. 8.) propria tantum dicit esse in *τῷ τὶ ἐστι*. *ταδὶ δὲ ἐν τῷ τὶ ἐστι μόνα*. Potest etiam aliquid, quod accidens est, alicui proprium esse. Sic Napoleon solus imperator Galliae fuit. Hoc ei erat proprium, et si dixeris: Napoleon erat imperator Galliae, hoc ita invertere potes: Imperator Galliae erat Napoleon. Alterum alteri licet substituere. Nam imperatore Galliae commemorato non potest intelligi nisi Napoleon. Alius enim nullus erat, nec tamen hoc referri potest ad *τὸ τὶ ἵν εἶναι* Napoleonti. Namque est accidens, *συμβεβηκός*, quod rebus vere inest, nec tamen necessario, *δὲ ὑπάρχει μέν τινι καὶ ἀληθὲς εἰπεῖν, οὐ μέντοι ἐξ ἀνάγνωστος* Metaph. IV. 30. (p. 1025. a. 14.). Possis igitur Aristotelico: *τὸ τὶ ἵν εἶναι*, quod ad rei essentiam pertinet, opponere: *τὸ τὶ ἐδύνατο εἶναι*, accidens, fortuitum, quod rei non repugnat.

Interdum ita disserit Aristoteles, ut *τὶ ἐστι* de genere rei intelligendum esse videatur opposito differentiae, quam specificam nuncupant. Sic Topic. VI. 5. (p. 142. b. 23.) vitium definientis esse ait, si non dicat *τοῦ λόγου τὸ τὶ ἐστιν*, si v. c. aliquis dixerit: corpus est, quod habet tres dimensiones (*διαστάσεις*), quia omiserit, *τὶ ὅν τρεις ἔχει διαστάσεις*, ergo genus (lin. 26.); atque adeo adjicit: *τὸ δὲ γένος βούλεται τὸ τὶ ἐστι σημαίνειν* (lin. 27.). Et Anal. post. II. 3. (p. 90. b. 4.) *τὸ τὶ ἐστιν*, inquit, *ἄπαν καθόλου καὶ κατηγοριῶν*. Igitur *τὶ ἐστιν* est universale et affirmativum. Ergo intelligit ita, ut sit aliquid, quod vere exstat; nam neminem nosse dicit id, quod non sit; necesse enim esse, ut qui sciat, quid sit aliquid, etiam sciat, hoc exstare, *ὅτι ἐστιν* Anal. post. II. 7. (p. 92. b. 4.). Rei enim, quae non sit, neminem nosse posse, nisi quid significet

nomen (lin. 7.). Utitur exemplo verbi *τραγέλαφος*, animalis facti, quod qualis sit, nemo sciat, quia omnino non sit, sed nomen esse compositum ex nomine hirci et cervi omnes sciunt<sup>10)</sup>, nominis vero interpretationem negat definitionem rei esse. Si igitur *τι ἔστι* ad id referendum est, quod exstat, facile elucet, quomodo differat ab altero: *τι ἦν εἶναι*, quod quidem ad rei formam sine materia pertinens non exstat, sed tantum mente concipi potest.<sup>11)</sup> Quare Metaphys. VII. 6. (p. 1045. a. 31.) aliam caussam, cur id, quod sphaera esse possit (*δυνάμει σφαῖρα*), re vera (*ἐνεργείᾳ*) sit sphaera, esse negat, quam *τὸ τι ἦν εἶναι* sc. sphaerae. Globus est lignum, quod quum globi formam accipere potuerit, nunc hac assumta ipsa natura et essentia globus est. Itaque Metaphys. XI. 8. (p. 1074. a. 35.) *τὸ τι ἦν εἶναι* dicit ἐντελέχειαν, efficaciam, actum, quia efficiat, ut res sit haec, neque alia. Illud *τι ἦν εἶναι*, ipsum materiae quidem expers, in se habet caussam, cur materia aliquid sit, v. c. sphaera. Neque negligenda, quae Ethic. ad Nic. II. 6. (p. 1107. a. 6.) leguntur: *κατὰ μὲν τὴν οὐσίαν καὶ τὸν λόγον τὸν τι ἦν εἶναι λέγοντα μεσότης ἔστιν η ἀρετή*, substantia et ratione ejus naturam indicante medium quid virtus est, vel medietas<sup>12)</sup> sc. inter duo vitia, v. c. parsimonia inter avaritiam et profusionem, et quidem: *κατὰ δὲ τὸ ἄριστον καὶ τὸ ἐν ἀριστης* (lin. 7.), praestantia et honestate summum.

<sup>10)</sup> Plato de rep. 6. p. 488. (ed. Astii tom. IV. p. 326.): *οἱ γραφεῖς*, inquit, *τραγελάφους καὶ τὰ τοιαῦτα μηγνύντες γράφουσι*. Posteriore aetate vivum animal ita nuncupatum est, forte illud, quod hodie Gnu dicitur, ex cervi, hirci vel bovis et equi corpore compositum.

<sup>11)</sup> Ad explanandum discrimen inter *τὸ τι ἔστι* et *τὸ τι ἦν εἶναι* Metaph. V. 1. (p. 1025. b. 32.) et saepius Aristoteles utitur exemplo *τοῦ σιμοῦ* et *τοῦ κοίλου*. Simum est exemplum *τοῦ τι ἔστι*, συνειλημμένον ἔστι μετὰ τῆς ὕλης. Itaque Metaphys. VI. 5. (p. 1030. b. 30.) Simum, inquit, dici non potest sine re, cuius est affectio, per se. Nam est cavitas in naso. Cavum autem est forma cavitatis sine materia sensibili, ἀνεν ὕλης αἰσθητῆς. Est igitur exemplum *τοῦ τι ἦν εἶναι*. Quodsi Metaphys. VI. 10. (p. 1036. a. 9.) ὕλη αἰσθητῆ, materiae sensibili opponit *νοητήν*, quae non sentiri, sed tantum cogitari potest, hujus exemplum proferit res mathematicas, quae pertinent ad aliquid, quod sensu percipi non potest. Nunquam geometrica forma depicta respondet figurae, qualem rerum mathematicarum peritus mente concepit.

<sup>12)</sup> Hac voce Cicero graecam *μεσότης* reddidit in fragm. de univ. 7.

nomen (lin. 7.). Ut sit, nemo sciat, quia hirci et cervi omnes srei esse. Si igitur τ<sub>η</sub> quomodo differat ab ateria pertinens non e: phys. VII. 6. (p. 104) sit (*δυνάμει σφαίρα*) ην εἶναι sc. sphaerae. tuerit, nunc hac ass XI. 8. (p. 1074. a. 3) quia efficiat, ut res s quidem expers, in se Neque negligenda, q μὲν τὴν οὐσίαν καὶ substantia et ratione tas<sup>12)</sup> sc. inter duo dem: κατὰ δὲ τὸ ἄρι sumnum.

<sup>10)</sup> Plato de rep.  
*τραγελάφους καὶ τὰ*  
animal ita nuncupatum  
bovis et equi corpore

<sup>11)</sup> Ad explanandum  
(p. 1025. b. 32.) et sa-  
sumus est exemplum  
Metaphys. VI. 5. (p.  
affectio, per se. Nam  
ria sensibili, *ανεύ ίλλη*,  
Metaphys. VI. 10. (p.  
quea non sentiri, sed t.  
quea pertinent ad aliqui  
depicta respondet figura

<sup>12</sup>) Hac voce Cice



ficti, quod quale situm ex nomine legat definitionem at, facile elucet, formam sine ma-  
11) Quare Metaphys. sphaera esse pos- egat, quam τὸ τι μα accipere po- Itaque Metaphys. fficaciam, actum, ipsum materiae, v. c. sphaera.  
leguntur: οὐτα νη εστιν η ἀρετή, is est, vel' medie- ofusionem, et quitania et bonitate

*yoaqeis*, inquit,  
iore aetate vivum  
ex cervi, hirci vel

*ιναι* Metaph. V. 1.  
*ο* et *τοῦ κοίλου*.  
*τῆς ὑλῆς.* Itaque  
 sine re, cuius est  
 cavitatis sine mate-  
 ri *εἰναι*. Quodsi  
 li opponit *νοητήν*,  
 tres mathematicas,  
 in geometrica forma-  
 mente concepit.

piv, Z